

1980

N

12



14 W

ORATIO FVNEBRIS,
QVM
SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,
DOMINO
EMMANVELI
LEBRECHTO,
DVCI SAXONIAE, ANGRIAE. ET WEST-
PHALIAE, COMITI ASCANIAE ET NIEN-
BVRGI, DOMINO BERENBVRGI ET,
SERVESTAE ETC. ETC. ETC.
PIE PLACIDE QVE DEFVNCTO.
SOLENNITER IVSTA FIERENT,
IN TEMPLO ARCIS
VITEMBERGAE,
AD D. XXVIII. AVGVSTI A. C. cccccc III,
IPSO SOLEMNI EXEQVIARVM DIE,
HABITA
AB
ABRAAMO VATERO,
VITEMBERGENSI, PHIL. ET Med. STUD.
—
VITEMBERGAE,
Ex OFFICINA HAKIANA.

SERENISSIMAE PRINCIPI ET
DOMINA E,
DN. GISELAE
AGNETI,
DVCI SAXONIAE , ANGRIAET WESTPHALIAE, COMITI ASCANIAE ET NIENBVRCI,
ET SERVESTAE , ETC. ETC.
ITEMQUE
SERENISSIMORVM FRATRV
PARI,
DN. LEOPOLDO,
PRINCIPATVS ANHALTINO COETHENENSIS HEREDI,
ET
DN. AVGVSTO
LVDOVICO,
PRINCIPIBVS IVVENTVTIS ,
VT ET
SERENISSIMIS FILIABVS,
ELEON. VILHELMINAЕ,
ET
CHRISTIANAE CAROLAE,
SORORIBVS GERMANIS, PRINCIPIBVS VIRAGINIBVS,
ANHALTINIS
D. D. D.
SERENISSIMAE FAMILIAE
DEVOTISSIMVS CLIENS,
ABRAAMVS VATER,
VITEMBERGENSIS, PHIL. ET MED. STVD.



80 N 12

AK
f

PRORECTOR
MAGNIFICE,
PERILLVSTRES
LIBERI BARONES,
PATRES CONSCRIPTI,
TUQVE FLORENTISSIMA
CIVIVM ACADEMICORVM CORONA.



I quid est, quod in homine aestimari juxta ac laudibus efferrri debet, non aliud id esse existimare licet, quam ornamenta virtutum et naturae dotes, quibus alii precedere alios, ab iisque se distinguere videntur. Eas vero hoc magis in PRINCIPIBVS mirari convenit, quo altius supra communem hominum conditionem evectos, fuaeque DIVINITATI proximos esse voluit DEVS IMMORTALIS. Neminem fugiunt monumenta, et positae magno labore ac pretio statuae, quas Graecis Romanisque amor pariter ac pietas in suos expressit Heroas. Nemini obscura, nedum ignota

A M I C U R I A T A

ta possunt esse scripta, diuturnitate temporis ad
nos quoque transmissa, quibus suorum REGVM et
IMPERATORVM maximas ac prope divinas virtutes
concelebrare maiores voluerunt. Quare suam
merito pietatem tuentur cives, qui PRINCIPVM
suorum laudes ab interitu et obliuione vindicant,
horum praesertim, qui praematura morte ere-
pti, virtutum suarum una fructum eripuerunt.
Reputant hoc secum, iacturamque PRINCIPIS
sui dolent ANHALTINI, et hodie ei iusta faciunt,
quem amarunt constanter, et fide coluerunt reli-
giose, quemque non optare meliorem, nec spera-
re indulgentiorem potuerunt. EMMANVELEM
LEBRECHTVM dico, SERENISSIMVM Anhaltinae
gentis, Coethanae propaginis, PRINCIPEM
pium, sapientem, et benignum, in quo nihil, praec-
ter longioris vitae spatium, desideramus. Cuius fa-
ti acerbitas tanto in patriam iniquior exilimanda
est, quanto maiori stirpe oriundum PRINCIPEM
eripuit, EMMANVELEM LEBRECHTVM,
qui et antiquitate, et gloria maiorum cum maxi-
mis quibusque Germaniae familiis contendere
potuisset, cum quo universa domus metu luctu-
que prope exanimata est, et velut missa de coelo
fulmine percussa, pristinoque felicitatis culmine
deie-

deiecta iacet. O tristes subitaeque rerum humana-
rum vicissitudines ! O PRINCIPEM coelesti-
bus ornamenti condecoratum ! cuius ex hac vita
discessus eo gravius vulneravit omnes, quo diffi-
cilia sunt remedia luctus quaerenda, praesidia-
que labentis fortunae comparanda. Quam infi-
nibilis sit plaga, quae nobis est inficta, et quam
irreparabilem cives fecerint iacturam, omnes iux-
ta mecum sciunt, et merito complorant. Nam
PRINCIPEM amissimus, qui cum admirandae
virtutis, qua vivus pollebat, tum lugendae nobis
miseriae, quam deprecari volebamus, necessita-
tem imponit. Hic se ostendunt inusitatae pror-
fus naturae dotes, quae non minus in corpore,
quam animo, elucebant, et non communem quan-
dam, sed singularem atque humana maiorem conciliab-
ant dignitatem. In his concinnitas mem-
brorum admirabilis, statura plane regia, vultus
HEROE dignissimus, et animi simul magnitudo
incomparabilis, familiam in eo PRINCIPE du-
cebant. Neque haec, quae seorsim in multis in-
venias, in eo divisa, sed bonitate naturae coniuncta
erant, dignitasque corporis et splendor cum
animi magnitudine certabant, adeo, ut omnes,
quotquot eum viderent PRINCIPEM, deani-

mo statim coniicere tanti HEROIS possent. Belli opera non ex equar, quae Martium ostendebant PRINCIPEM, cum pro patria et libertate anniteretur, manuque et consilio valeret, sed pacis praeципue studiosus esset. Quare summa in cives CLEMENTIA usus est, propterea quod temporum iniuria de fortunarum possessione deiectos erexit, patriamque consiliis multo saluberrimis firmavit, LEGES optimas defendit, et SACRA tutatus est, IUSTITIAMQUE administravit tam gloriose, quam constanter. Quae cuncta maximaque bona, cum cives diligenter ponderant, et cum animis cogitant, fieri non potest, quin acerba lamentatione et eiulatu personent urbes, fora, agri, compitaque tristitiam doloremque prodant. Adeo TANTI PRINCIPIS mortem nemo siccis aspicere oculis, nemo civium aequo ferre animo potest. Luget, collapsio hoc columine, tota DOMVS ANHALTINA, perturbatur aula, languent dolore ORDINES, tota CIVITAS COETHENENSIS velut senio confecta squalet: afflictantur cives universi, et vicem suam deflent: vicini illachrymantur, qui pium simul testantur dolorem, atque iustum PRINCIPEM desiderant moerentes. Quo fit, ut nunquam sine gemitu et lachrymis eorum instituatur commemoratio, quae fati inclemencia oculis subducta sunt, et insperato casu

casu nobis erupta. Difficulter enim ex animo
evellitur earum recordatio RERUM , quarum pos-
sessio antea nos mirifice delectavit , quarumque
memoriam amor altius animo infixit : maior enim
graviorque talis dolor est , quam ut ei resistere
queamus , cum non unum et alterum , sed univer-
sus afflixerit ac debilitarit , ut vix quisquam repe-
riatur , qui praedicandis tanti PRINCIPIS lau-
dibus sufficiat , et meritis usque quaque celebran-
dis dignum se praefestet , aut iusta saltem pietatis gra-
taeque mentis officia persolvat . Nec vero acer-
bus solum , sed etiam communis hic luctus est , qui ,
praeterquam quod Anhaltinos tangit , etiam nos
afficit et perturbat , nec tantum unius regionis cir-
cumscribitur finibus , sed etiam finitimos consenfu
doloris movet vulnusque altissimum pectoribus
infligit , adeo , ut , si a PRINCIPE VIDUA ET SOBOLE di-
scesserim , graviorem vix accipere possimus plagam .
At vero , quantacunque tandem sit vis atque magni-
tudo doloris , temperanda nihilo minus ea , et colli-
gendus est animus , ut munus meum exequi valeam ,
et iniuncto pietatis officio perfungar , ardua in-
primis et inusitata prorsus in me meosque BENE-
FICIA , quibus vivus nos prosecutus est , paucis dun-
taxat , nec magnitudinem Eius aequantibus , verbis
complectar . Quanquam vellem , fecisset DEUS

B

immor-

immortalis, ut aut vivi, quod destinaveram, PRIN-
CIPIS laudes enarrandas fuscipere potuisssem,
quas tacite mecum semper admiratus sum, aut,
cum ipso hoc solenni exequiarum die verba de iis
facienda sint, idoneis ad dicendum viribus instru-
ctus, accederem, quibus me in praesentia video
esse destitutum. Sentio enim, quantum flumen
ingenii, quanta dicendi exercitatio, quantaque
copia ad commemorandas PRINCIPIS huius,
nendum exornandas, requiratur laudes. Tantae
enim sunt, ut vel disertissimi oratoris linguam fati-
gare, animumque multitudine sua obruere possint.
Sed malo ego tenuitatem orationis meae, quam
neglectae pietatis crimen deprecari, et quamvis
ieiune tenuiterque de divinis ac coelestibus illis
laudibus dixero, satis tamen mihi erit, et autorita-
tati SUPERIORUM obtemperasse, et reverentiae in
PRINCIPEM paruisse.

Etsi autem ingenuus quisque et recti amans
ubique patriam habet, nec hominis dignitas aut
patria, aut genere, censenda est, sed mente, quae
DEUM ipsummet praecipue refert, tamen illis,
quibus et patria illustris, et excelsa conditio nascen-
di contigit, gratulamur merito, et tanquam coeli
pignora eos fuscipimus, ac demisse veneramur.
Nam magna vis in terra natali inest, quae, ut
vires

vires largitur nascentibus , sic ortus nascentium
eadem distingvit , ac nativitate praeципue pa-
triam multo reddit splendidiorem. Non enim
omnis omnia fert tellus , alibi multas cumulatas-
que opes in venis et visceribus , tanquam in sinu
gremioque suo, recondit et sovet , alibi gemmas ni-
tore admirabiles , ac pretio vix aestimandas praebet ,
largiusque impertitur. Haud secus ingenia
hominum distingvit , et PRINCIPVM mentes
prae aliis coelesti quodam auspicio fingit ac for-
mat , ut , veluti gemmae in auro , luceant , et splen-
dore suo rempublicam colluissent , ac fidera imi-
tentur. Quotus enim quisque est , qui ignoret
ANHALTINAE GENTIS gloriam , quae multis
ab hinc seculis exsplenduit inter Hermunduros ,
antiquissimos Albus et Salae accolos , populos
maxime bellicosos. Quas illi gesserint res , quae
regna condiderint , quas sibi subiecerint provin-
cias , quantos terrarum tractus in potestate habue-
rint , quas nationes miserint sub iugum , aut fcede-
re sibi devinxerint , Germanorum annales satis
superque docent. Tibi , COETHENA , tibi , in-
quam , divus PRINCEPS suos debet natales , cui
tu , cuiusque gloriofissimis MAJORIBUS accepta re-
fers tua felicitatis incrementa. HUIUS auspicatissi-
ma nativitas summo Tegaudio affectit , et in luce
locavit , ut sedes caputque fortunati Principatus

esses, et orbitatem a PRINCIPALI DOMO
averteres, quae, sublatis EMMANVELE et LE-
BRECHTO, fratribus, imminebat. Stupet ani-
mus, de GENTIS ANHALTINAE origine cogitans,
ex qua EMMANVEL LEBRECHTVS suum ge-
nus dicit. Summa sunt omnia, sive antiquitatem
consideres, sive gloriam species, et nullo temporo-
rum cursu interruptam HEROVM seriem in-
truaris. Tantus hic se aperit dicendi campus, tan-
tusque mihi laudum et meritorum obversatur cu-
mulus, ut ne verba quidem mihi suppetant, tantum
abest, ut suffictura videantur. Ecquid enim ANHAL-
TINORUM GENTE aut antiquius, aut illustrius, reperi-
amus? Quae originem repetit ab ultimis atque in-
digenis Germaniae populis, qui Albim inter et
Visurgim confederunt. Sed mitto antiqua, et ad
propiora descendo, quae gratiora sunt, nec ni-
mio temporum spatio a nobis distant. Ut enim ar-
tificiosae et elegantes picturae quandam ab aetate
obscuritatem patiuntur, sic veritas ipsa diurni-
tate temporis se involvit, et quasi caliginem sibi
affert. Praefstat igitur omittere Aborigines, et
praeterire adeo primos antiquissimi generis con-
ditores, quam infra meritorum gloriam ornare.
Notiora temporum intervalla, et propiora ab AL-
BERTO VRSO auspicabor, qui Imperatorum et
Princi-

Principum oculos in se convertit , hostiumque aciem fulgore suo p^raefixit. Cuius invictum animum, incredibile robur, certamina armorum et conflictus secundos, victorias semel et iterum partas tanti fecit LOTHARIVS SAXO, Imperator Augustus, ut summam eius prudentiam crederet sibi, et rebus Imperii salutarem, quam is ita cum fortitudine coniunxit , ut unum hunc omnibus facile p^raeferret, eumque cum imperio militari mitteret ad motus Italiae componendos, Nemo est, qui non exploratum habeat , quanta magnitudine animi, consilio, et circumspectione hoc gesserit munus. Virtutes, quas in bono ac perito belli duce requirit Tullius, in eo non fuerunt tantum, sed p^raecepue eniuerunt. Quem fugit , quam insigne ab LOTHARIO ei tributum sit beneficium ? sedatis in Italia tumultibus, profligatisque fortiter Saracenis, perditissimorum latronum turba, reversus, multo honore, officiisque cultus, et maiori dignitate auctus, dignum opera p^raemium tulit. Extincta enim PRINCIPVM et MARCHIONVM BRANDENBURGICORVM veterifamilia, vacuas successore terras ALBERTO lege beneficiaria addixit possidendas, et quod maximum est, in splendidissimum, et dignitate ab AVGVSTO proximum SENATVM sponte cooptavit. Huius vestigia secutus BERNARDVS,

C

PRIN-

PRINCEPS domi militiaeque optimus, et Italiae
perinde ac Germaniae notus, trans Alpes et Apen-
ninum imperatorias auxit copias, ut omnes, etiam
hostes, pleno BERNARDVM ore praedicarent.
Praeclare hoc intellexit FRIDERICVS AHENOBARBV,
IMPERATOR AVGSTVS, qui, proscripto Gvelpho-
rum DVCE HENRICO, SAXONIAM Albi finitimam, et
ducatus titulo ac dignitate comprehensam, ultro
ei concessit, quam eius posteri magna cum gentis
gloria, et has vicinasque regiones adversus Henetos,
Boiemos, Polonus et Scythas tutati sunt con-
stanter. Crescendit tunc initium habuit BERNARDI
familia, maximosque Germaniae Principes suscep-
tit, qui Saxoniam et Marchiam in potestate
tenuerunt. Haec ipsa VITEMBERGA, antiquorum
Saxoniae DVCVM clarissima sedes, et artium inge-
nuarum PARENTES, adhuc veneratur memoriam
ALBERTORVM, RVDOLPHORVM, et PRINCIPVM a BERN-
ARDO progenitorum, qui perpetua cum NOMINIS
laude tam iuste, quam prudenter Saxonum terris
praefuerunt. Tanti semper ab IMPERATORIBVS ha-
biti sunt illius stirpis PRINCIPES, ut Imperatoria-
rum expeditionum Duces aut Comites, et magnorum
quoque consiliorum participes voluerint esse.
Vanum existimo et inconsultum, illorum lau-
des, tot gentium et populorum linguis literisque

prae-

praedicatas, levi saltem encomio ornare. Praeteri-
bo HEROASpricos, ab DOMO ANHALTINA
profectos, quorum res gestae omnem facundiam
exsuperant, neque mensura et numero definiri,
multo minus tenui oratione comprehendendi possunt.
Si ad PARENTES beatissimi PRINCIPIS ocul-
los converto, nunquam illi ab antiqua MAIORUM
semita deflexerunt, nunquam ab AVORUM vestigiis
recesserunt, sed NOMEN gloriamque, multis ac infi-
nitis accessionibus cumulatam, extulerunt altius
et amplificarunt. Haud quisquam est tam pe-
regrinus in Annalibus, tam ignarus rerum, tam
rudis REIPUBLICAE, qui non legerit facta tantorum
PRINCIPVM, qui non audiverit res pace bel-
loque gestas, qui non cognoverit merita, qui
non cogitaverit labores pro Germania suscep-
tos, qui non coluerit pietatem et magnitu-
dinem animi, qua divi PRINCIPIS eluxit
AVUS, in tantum laudandus, in quantum virtus
aestimari potest. Hunc amavit RVDOLPHVS, IM-
PERATOR AVGSTVS, dilexerunt PRINCIPES, CO-
luerunt propinqui, suspexerunt exteri, celebra-
runt scriptis erudit, obsequio et amore prosecuti
sunt subiecti eius ditioni cives. Arbiter ab AV-
GVSTO datus, componendis litibus BRANDENBVR-
GICVM inter et PALATINOS PRINCIPES de terris Iulia-

censibus, ea usus est prudentia, et moderatione, ut ex hoc satis intelligi posset, quantus ille PRINCEPS fuerit, quo sub id tempus nemo ad hanc rem perficiendam aut aptior, aut solertia eſtre pertus. Artis Hermeticae, quam vocant, erat ſtu- diofus, et praecipue amans literarum, quas in magna etiam fortuna ſciebat eſſe ornamento. Ita factum eſt, ut ei monumenta ingenii ſemel, ite- rum et ſaepius ab eruditis conſecrarentur. Gra- viſſimis Imperii negotiis interfuit, et illis etiam, quae ad curam divinioris cultus pertinebant, pa- cemque RELIGIONIS complectebantur. Nec vero non peritus erat rei militaris, quam confilio et ma- nu adminiſtravit, eaque ſic inclaruit, ut gloria permanaret ad Gothos, et horum REGI pruden- tiam pariter atque fortitudinem approbaret, cum verſaretur in caſtris, et nullum in acie pericu- lum recuſaret. Nihil eum de hac ſententia deduce- bat, nihil unquam movebat, ut quietem caperet, nulla coeli inclemencia retardabat, nihil tam ardu- um erat aut invium, quod non tentaret et vinceret, Martiique ſemper ardoris ſigna daret. Magnos enim animos non capit fortuna tenuis, nec privata conditio remoratur, ut domi, et velut in angulo ſe- deant, anguſtisque ſe includi finibus patientur. Haec vis excitabat hunc PRINCIPEM, ut com- mea-

mearet ad exterios, viseretque remotas gentes, et
inspiceret peregrinos mores, Galliam et Italiam
Graeciamque perlustraret, et contra barbaros pu-
gnaret, nec, nisi relictis fortitudinis suae monu-
mentis, inde in patriam rediret. PATER EMMA-
NVEL, quo animo fuerit, vel sola Cretensis ex-
peditio declarat, quae, ut longinqua et difficilis, sic
ei maxime fuit gloriofa, ut reverfum Germania
libens et laeta exciperet, maioribusque patriae
negotiis destinaret. Itaque remedio orbitatis com-
parato, in foedus sanctissimum ascivit ANNAM
ELEONORAM, per antiqua STOLBERGIO-
RVM stirpe prognatam, in qua condecoranda
non minus industria, quam natura elaboravit, ut
cum dignitate corporis, tum dotibus animi, pae-
ter ceteras summi loci viragines floreret, impri-
misque felicis uteri esset, quando domum ducta,
auspicato post enixa filium, patriam incerta spe
anxiā, nato EMMANVELE LEBRECTO, re-
creatam novo magnoque gaudio erexit et recrea-
vit. Non quidem vidit, quam genuit, SOBOLEM diuis
PATER, sed Posthumam reliquit, futurum patriae
certissimum, se mortuo, firmamentum. Quae
singularis DEI providentia effecit, ut a tantis PA-
RENTIBVS, in quibus omnia profecto omnibus
partibus absoluta extarent, veram et expressam

D

virtutis

virtutis sua effigiem, posteris in FILIO conspi-
ciendam exhiberent. Pro divo P A T R E consi-
lium et curam adhibuit AGNATUS PRINCEPS, IO-
ANNES GEORGIVS, MATREMQUE
educandi causa follicitam, auctoritate adiuvit, et
prudentia rerumque usu confirmavit, natuque
maximus, et necessitudine proximus, has peregit
partes. Omnes certe eo intendit nervos, ut te-
nelli PRINCIPIS aetas omni cultu formaretur ad
publicam, et PRINCIPE dignam fortunam, patris-
que exemplo admonitus, cresceret in dies, et spem
FAMILIAE perinde ac PATRIAE impleret, mor-
rumque et vitae documenta non longius peteret,
sed domi continenter inspiceret, et sedulo imita-
retnur. Geffit monenti morem, neque ab insita
naturae bonitate deflexit, eoque magis ad obse-
quium incitatus est, quo diligentius curavit A-
GNATVS, ut adulterior intelligeret, se in filii loco
diligi, et in P A T R E mortuo sibi PATREM redi.
di. Hoc enim non verbis, sed rebus factisque de-
claravit, et aliis exemplum tradidit, quod intue-
rentur perinde ac sequerentur: hi maxime, qui
in excelsa loco nati, altissimum dignitatis et po-
tentiae gradum inter homines tenerent. Ut enim
plantae post ortus suos multo felicius surgunt, et
ducto ab radice succo, se efferunt magis, ac latius
diffun-

diffundunt ; si manus et industria horti cultoris
vigorem adiuvant augmentaque : sic magnae PRIN-
CIPVM mentes suapte sponte se movent et in-
citant , altiusque nituntur,cum PRINCIPVM
cura formantur , et aequales aequalium consilio
finguntur rectius , et reguntur. Nulli enim divus
PRINCEPS libentius paruit , quam AGNATO ,
ad pietatem exhortanti , et avitas paternasque lau-
des ante oculos ponenti , et persequendas admoni-
nenti. Voluptatum illecebras , mollitiem animi ,
et lubricam aetatis licentiam constanter averfatus ,
omne tempus virtuti tribuit , quod multi ficta vir-
tutis specie collocant male , et perdunt. Nondum
ex ephebis excesserat , cum singulari in res divi-
nas amore ductus , frui MYSTERICIS vellet , et ab his
primordia felicitatis caperet , tesseramque pieta-
tis suae adolescentiori etiam aetate daret. Ad
hanc accessit constantia et altitudo animi , quam
consiliis et cogitationibus adhibuit , ut ea tantum
eligeret , quae recta sunt , quaeque PRINCIPEM de-
cent , et vehementer ornant , nec falsis rerum no-
minibus , erroneisque vulgi opinionibus decipi
patiuntur. Valebat vigore incredibili , et accu-
rata mentis acie omnia pervidebat , et idonea pa-
riter ac iusta quibusque rebus pretia statuebat.
Optimis vitae studiis deditus PRINCEPS , ab dele-

Etatione neutiquam abhorrebat, et decora corporis exercitatione capiebatur, tum palaestrae operam dabat, veteri HEROVM instituto, quod ad bellum pertinere existimabant. Exercebatur maxime equitando, et pulchre seu in gyrum agebat, gladiumque versabat apte et vibrabat, nunc celeriter inferendo ictum, nunc artificiose declinando. Palmam facile ceteris in decursone equestri praeripiebat, et in certaminibus plerumque VICTOR, Troianorum HECTOREM, aut Graecorum ACHILLEM reddere videbatur. In omnibus autem his rebus, cum mira eius et consentanea PRINCIPIS elegantia, tum admiranda quaedam agendi movendique dexteritas elucebat. Quodsi enim MAGNVS ille MACEDONVM REX non ab alio, quam ab Apelle pingi, neque ab alio, quam a Lysippo, ex aere duci voluit, quid mihi, vix dicendi studiis initato, eventurum putabis? Crimen temeritatis vix effugiam, si regiam divi PRINCIPIS formam non describere quidem, sed adumbrare tantum quodammodo ingrediar, si PRINCIPEM DEO similimum, ductis duntaxat paucis lineis, signare velim. Eadem illi species, eademque auctoritas, quae Iphicrati fuit, qui ut animo magnus, ita corpore conspectior, omnium facile in se convertebat oculos, et vel ipso asperetu cuivis movebat

bat admirationem. REGES ipsi eximiam corporis dignitatem collaudarunt , et exteri , etiam Germanorum aemuli, Regium in hoc PRINCIPE decus, quod cum reliquis naturae dotibus coniunctum habuit, haud dissimulare potuerunt. Obscura, et quodammodo debilis est sapientia, quae domi tantum acquiritur, neque ultra fines patriae se profert , usque destituitur, et peregrinatione caret. Itaque gaudebat motu , et cupiditate flagrabat visendi exteros , et explorandi exquisitissimas regnandi artes, prudentiamque confirmandi. Non enim uni loco omne, quod egregium est dedit NATVRA, neque una gens universè possideret, quod singulae habent , ut mutuis sibi officiis devinciantur. Aliae aliis reguntur moribus, et aliis delectantur studiis: quaedam ad belli munia promptiores, quaedam pace firmiores , multae commerciis florentiores, rerum suarum satagunt , divitiasque ex omnibus terrarum angulis comportant. Has intueri propius , et eligere ac seponere sibi, quod optimum est, dignum PRINCIPE officium censeri debet, quae divi EMMANVELIS LEBRECHTI sententia fuit, et in luce aulae , et arce Versalliarum sermone celebrata, suffragiisque sapientissimorum Regis procerum approbata , ut vel hoc signo constaret omnibus,

E

qualis

qualis evasurus esset, si rediret in patriam, et regeret:
id quod deinceps, aetate nondum matura, exteris
quoque sagacissimis ostendit. Sexto decimo aetatis
anno se in viam dedit, et foederatos Belgas, Germa-
norum vicinos et amicos, invisit, sedemque com-
merciorum diligenter contemplatus, reputavit
nervos et opes, et vires imperii, ac subsidia poten-
tiae, quibus tueruntur libertatem suam. Vidi urbes,
obiit provincias, stationes navium perlustravit, clas-
ses conspicatus est maximas, quibus utramque In-
diam emetiuntur. Vbi ad Amstelam flumen cer-
nere se compendium orbis terrarum intellige-
bat, eaque ex re magna ad eum utilitas redundab-
bat, praesertim in constituendis aulae rationibus,
quae ad instruendam annonam, et componendas
inferendasque patriae merces spectant. Inde R E-
GVM colloquia et congressus petebat, atque in
Gallia voti compos, prolixo ab R E G E acceptus,
et ad sermones cum eo habendos benevole intro-
missus est, et magnum deinde in REGIS animo
desiderium excitavit, cum e Gallia abiret. Ut
Themistocles Persicam, sic ille Gallicam lingvam,
non senex quidem, sed IUVENIS prompte didicit,
et tam scite locutus est, ut indigenae eum lo-
quentem vix interno/cere ab sua gente pos-
sent. Elegantia moris, et cultu corporis, celeri-
tate

tate ingenii, solertiaque agendi, et aulae negotia
tractandi, se distinxit ab aliis, et nemini procerum
ea quidem laude concessit. Cuius rei specimen
ante praebuit, quam in Galliam adventavit, et
Hagae Batavorum, cum PRINCIPIBVS e Gal-
lia oriundis, familiariter fuit, et cum Arausio-
nenſi PRINCIPE diligenter versatus est, quem
et consilii copia, et iudicij maturitate, bellique pe-
ritia Regibus parem esse, tam fama acceperat,
quam usi vitæ confirmatus, norat. Non latent
magna, aut non diu ignorantur, et quo magis ab-
ſcondi solent, eo minus celari possunt. Quod
divo PRINCIPI evenit, cuius adventum fama
praevenit, ut, quocunque veniret, protinus agno-
ſeretur, et ab obviis falutaretur, maxime a Ger-
manis Principibus, in Belgio et Gallia commor-
antibus, magno apparatu et honore excipere-
tur, tanto hominum concursu, ut ex urbibus
effusi adventu Principis laetarentur. Eodem tem-
pore in FRIDERICI AUGUSTI SAXONISAMICITIAM se insi-
nuavit, et cum Principe Brunsvicensi Hannovera-
nae propaginis, familiaritatem contraxit. Regem
ipsum singulari elegantia sibi conciliavit, ut eadem
ab illo comitate acciperetur PRINCEPS, et dimit-
teretur, reliquis propter summas incomparabiles
que virtutes admirationi esset. Confectis itine-
ribus,

ribus, amplificavit laudes , et domi forisque col-
legit famam. Redux, incredibili suorum gaudio et
gratulatione acceptus, in bellum proficisci statuit,
RHENUM versus expeditionem suscepitur, si per
valetudinem ei licuisset. Quare manendi confi-
lium cepit, et praesentia refecit populum sibi cre-
ditum, quando vota passim et plausus civium ex-
audiebantur. Erat iam ea aetate, qua regendi ca-
pax erat, et CAESARIS sententia, AGNATIQVE
voluntate , abs tutela liber , magnum in se onus
suscipiebat PRINCEPS , et utriusque satisfacie-
bat expectationi. Annus agebatur supra mille-
simum sexcentesimum tertius et nonagesimus, au-
spicio coepti regiminis felix , cum Ordines Pro-
vinciae , et populus COETHANAE ditionis,
PRINCIPI fidem iureiurando alligarent , tan-
ta animorum consensione et concordia, ut nul-
lus in orbe dies iucundior credi, aut laetior cele-
brari posset. Crescebat felicitas, et gaudium aug-
ebatur , cum animum adiiceret ad societatem
castissimi foederis, cum GISELA AGNETE
R A T H I A ineundam , quae ab antiquissimis
prognata COMITIBVS, non ementitur stirpem, sed
ab ultimis OTTONVM AVGVSTORVM
temporibus integrum et illibatam arcessit. Cuius
familiae splendor obscurari potuit, non extingvi,
tantum

tantum abest, ut rerum omnium conjectrix vetu-
tas oblitterare antiquissimas eius laudes potuerit,
ut quoque contra injuriam temporum firmae
semper et stabiles ad hunc usque diem permane-
rent. Raro quidem nascendi felicitas, et formae
dignitas, cum virtute coniunctae reperiuntur. Sed
GISELAE AGNETI haec propria, et fato be-
nigniori data felicitas est, ut in utroque laudis ge-
nere facile primas teneat, et concinnitate sua ac
favitate **GRATIAS** ipsas referre videatur. Dotes
tot et tantae sunt, ut numerus earum vix iniri
possit: sanctimonia animi talis, tamque admirabi-
lis, ut sexus foeminarum PRINCIPVM ab ea
pietatis et verecundiae exemplum petat. Haec
adeo digna fuit, cui illustre nascendi decus, non
amissum, sed temporum iniuria intermissum, red-
deret **AVGVSTVS**, redditumque, editis publi-
ce tabulis, confirmaret. Quantus hic fulgor ex-
ortus est? quantum felicitatis accessit? **RATHIA**
nihilominus omni ambitione vacabat, sed prin-
cipale matrimonium in coelestis beneficij parte
ponebat, cumulumque, pristinae **MAIORVM**
dignitati additum, vere iam putabat. Virtute
ergo coaluit, et stetit hoc foedus, et arctissima
animorum coniunctione, summaque et favissi-
ma voluntatum consensione, firmatum est, atque

F

con-

conservatum. Amor utrinque, data et accepta
fide, sincerus, cultus et honor mutuus, PRINCI-
PVMQVE PARI dignus semper est animad-
versus. PRINCEPS coelestes R A T H I A E
dotes in pulcherrimo animi corporisque domi-
cilio spectabat: ILLI PRINCIPIS decora gra-
vitas in oculis erat, atque in medullis haerebat
singularis et eximia charitas, eaque nihil sanctius
ducebat, nihil denique sibi, praeter gaudia et for-
tunam PRINCIPIS, vindicabat. Multa equi-
dem DEI munere consecuta est, sed illud in ma-
ximis numerandum est, quod virili et foeminea-
sobole principalem familiam auxit, et expecta-
tionem publici desiderii explevit MATER pia
et felix, coelestis benedicti vim experta. Nam
quicquid loquebatur et cogitabat, quicquid de-
stinabat et meditabatur, id pro sua pietate DEO
et PATRIAE dicabat ipsa ac devovebat, omnes-
que votorum numeros implebat, neque virtutes
a pietate seiungebat, DEVMQVE sic cole-
bat, ut statas illi horas consecraret, et publice
privatimque religionis munia obiret. Hoc tale
exemplum profuit omnibus, et religionem in-
iecit praefractis, ut non imitari, sumnum nefas,
putarent cives. Praesertim cum divus PRIN-
CEPS his insisteret vestigiis, et praeiret univer-
sis,

sis, quos pietatis suae similes esse cupiebat: beneficiaque ratione et iudicio largiebatur, his praesertim, qui pietate ad DEVM proprius accedebant, rectisque vitae officiis alios exsuperabant. Non altercando, sed adorando placari NVMEN, dicebat, et propter capita quaedam seorsim sentientibus non vim afferebat, sed sacra libera permettebat, et templo exstruendi potestatem faciebat: Regem Cyrum imitatus, qui populum ritibus dissidentem, non multatavit suppliciis, sed honoribus ornavit, beneficiisque affecit. Quanto enim fuit religiosior, tanto extitit liberalior, tantoque in recipiendis exulibus promptior, qui religionis causa afflitti, solumque vertere coacti fuissent. Dies me deficeret, si inire beneficiorum numerum coram vellem. Pro me loquantur exteri, odio sacrorum eiekti, aut indigne habiti, quos perinde ac suos complexus est, et civitate donatos, locupletavit benigne ac fovit, ut tot tantorumque beneficiorum cumulo prope se obrui faterentur. His rebus sempiternum sibi excitavit monumentum in animis ciuium, quod nulla aetas conficiet, nulla vetustas reticebit. Documento est coetus, ritibus Lutheri constitutus, quem regia liberalitate prosecutus, primum lapidem in fundamenta templi

coniecit, quod exstrui coeptum, et divino cul-
tui consecratum fuit. Consilio, opera, et sum-
ptu adiuvit architectos, et in principatu suo re-
galis munificentiae documentum nostri aevi
PRINCIPIBVS dedit. Sacerdotes, ut DEI legatos,
amavit PRINCEPS, et honoravit, et in omni-
bus, praesertim sacris rebus, altae mentis con-
silio probavit, cumque praefentia recte dispone-
bat, tum de futuris optime coniiciebat, et poste-
ris etiam, ut providus erat, prospici cupiebat, et
qua nocere possent, cogitatione praecipiebat,
tristesque casus, et impendentes minas provi-
debat tempestive, et solicite avertebat. Au-
gendis civium fortunis invigilabat, et opes iu-
ste comparandas, admonebat, bonos PRINCI-
PES pastorum instar curare oves suas, affirmabat,
nec verbis ludere, sed pactis stare, graviter dice-
bat: Qui secus faciant, eos lyras imitari iudica-
bat, quae non intelligent, quem edant sonum.
Iustitiam ergo pro Imperii fulcro, et pro impe-
randi regula habendam, ingeminabat: domi-
natus, sola utilitate et vi nixos, DEO invisos esse,
divus PRINCEPS aiebat: in iudiciis viros in-
tegros requirebat, nec alias, quam idoneos et
iustos, tribunalibus imponebat: licentiam et im-
probitatem extemplo compescerat, depravatos

que

que mores efferatorum hominum castigabat legibus, et severitatem quoque singulari clementia temperabat, ac delicta non crudelitate, sed ratione ulcisciebatur, tantum aberat, ut poenis delectari videretur. Plures auctoritate sua, quam superpliciorum gravitate flectebat. Omnibus, etiam minimis, patere ad se aditum volebat, preces et desidria audiebat, PATRISQUE in modum diligebat cives, nec tristes perturbatosque ex conspectu suo abire sinebat. Cupiditates nocendi, et pravas privatasque libidines fugiebat: calliditatem Tiberii, luxuriam Caligulae, et crudelitatem Neronis, ab aulis CHRISTIANORVM PRINCIPVM longissime arcendas, et velut monstra ac furias statim abigendas, rebatur. Repentinos animorum impetus in initiis comprehendos, suo et excelsae mentis argumento docebat, qui ut hostes ex insidiis invadant, protinus repellendos, ne dato spatio vires fumant, et moderationis temperantiaeque arcem, quam defendit pietas, expugnent. Quanto autem durior et difficilior pugna est, tanto est victoria gloriofior, cumque ex arena exit, prostrato hoste, nullum deinceps periculum reformidat. Hoc cogitabat divus PRINCEPS, nec voluptatibus se

G dabat,

dabat , quibus servire, et quasi sub iugum mitti,
abiectae indolis foret : PRINCIPEM civibus re-
gendi natum , nihil tale delectabat, quod specie
libertatis animum corrumperet , eo quod nulla
foedior servitus esset, quam quae PRINCIPEM
liberum detruderet magis et depravaret. Mun-
ditiem omni diligentia tuebatur, splendorem non
affectabat , et a nimis sumptuoso apparatu rece-
debat prudenter, dignamque PRINCIPE mun-
ificentiam servabat. Vnum fortunato, et super
alios evecto , PRINCIPI grave erat malum, cum
quo conflictabatur indies, sed vincere non pote-
rat, iamque usu intelligebat , PRINCIPES etiam
in magna fortuna esse miseros, et quo maiores sint,
eo plures hostes se oppugnare , et pericula, mo-
lestias, morbosque se laceſſere identidem ac in-
festare. Adversa illi valetudo obstabat, qua ten-
tatus est saepe, at vix, aut raro turbatus ex ea re-
animus , nunquam, ne inter summos dolores
quidem depressus. Repulso et placato con-
gruentibus remedii hoste, non securus erat, ne-
que ignorabat, securitatem esse initium omnium,
quaec nec opinantes deiiciant , malorum. Idcir-
co praesidia tempestive circumspiciebat , et mor-
bi vim impetumque retardabat aliquando et re-
tunde-

tundebat , ac semel iterumque levari se intelligebat , donec omnes collectas vires effunderet , iamque in praesentissimo vitae et salutis discrimine PRINCEPS versaretur . Neque tunc imparatus erat PRINCEPS , et mali vehementiam frangebat , arcessitis undique peritissimis medendi artificibus , qui vel ipsum AEsculapinm praestantia ingenii , et curandi facultate adaequarent . Levatus nonnihil PRINCEPS , sed e periculo minime ereptus est , cum iste hostis , velut auctus subsidiis , ab omniparte se commoveret , nunc ex insidiis , nunc aperte PRINCIPEM invaderet , et vitae officinam everteret penitus , atque expugnaret . In tanto malorum concursu , dolorumque certamine adhuc sibi constabat , necdum spem victoriae deponebat , et aliquot deinde annis , magno civium gaudio , desidente tumore , meliuscule se habebat , corporisque habitus corrigi , et paulatim restitui videbatur . Sed postquam tumor rediit , et hostis febri , velut novo telo , armatus , deminuit vires ac debilitavit : Mox difficilis respiratio secuta est , et ingravescentibus denuo malis , non unus duntaxat hostis in eum irruit , sed plures , qui , contractis ad aegri perniciem copiis , PRINCIPEM resistendo fortissimum , et tolerando con-

stantissimum, cessantibus iam induciis, denuo la-
cessentes, de humanis tandem praesidiis deiece-
rant. Animum nihilominus, cum aegre traheret
spiritum, coelesti ope corroboravit, integris sem-
per sensibus, et linguae mentisque compos, dum
suprema et decretoria ei hora instaret, cogitatio-
ne versabatur in coelis, piaque migrationis confi-
lum inibat, priusquam corpus terrae reddidit, ac
nuncium rebus humanis remisit. Eo gratior coe-
lestibus advena, et, suscepito fausti itineris pi-
gnore, novus Civis, quo maiorem vivus coelo in-
tulit gloriam, et praesidio coelitum in possessio-
nenem stabilem ac perpetuam inductus, REGEM
AETERNVM sine metu colit, et sine dolore
ac periculo intuetur. Vltro se DIVINAE VOLVN-
TATI permisit semper atque subiecit, et MAXIMO
IMPERATORI, PRINCIPEM e statione
evocanti morem gessit, sub Cvivs signis vicit ho-
stes tuos, felicitati et valetudini suaee infestos: sub
Cvivs auspiciis exultat securus periculi, nec timens
plagam, et sempiterno splendore fulgens. Tan-
tum dolor ad VIDVAM PRINCIPEM redundant,
moerore et metu prope exanimatam. Evidem
magna est huius constantia et animi firmitas,
quando contra varios casus, et temporum iniurias

se



se divinioris scuto munivit, et divi PRINCIPIS,
quem desiderat, exemplo callum obduxit. HAEC
SERENISSIMAM SOBOLEM, in spem prin-
cipatus et patriae genitam, erigit, iacturamque,
quam sarcire non potest, reperto doloris reme-
dio, consolatur. Quod eo efficacius VIDVA
PRINCEPS potest, quo sanctius amavit PRIN-
CIPEM, a quo, velut ab sole, splendorem mu-
tuata, cum dignitate pariter agendi et consulen-
di felicitatem accepit. Cives rerum fortunarum-
que custode et propugnatore orbati, PRINCI-
PEM patriae reddi, et in vitam revocari cu-
piunt, non HYLAM, HYLAM, ut veteres solebant,
sed EMMANVELEM LEBRECHTVM
femel et iterum alta miserabilique voce incla-
mantes. At enim vero PRINCEPS, supra mor-
talitatem positus, et in eum locum translatus est,
cuius summo semper desiderio tenebatur. Nos
plagam FAMILIAE PRINCIPALI infla-
ctam patienter feramus, et auspicata sobolis suc-
cessione sanari optemus. In medio vitae cursu
metam attigit divus PRINCEPS, et angustum
vitae spatium aeterni possessione gaudii com-
pensavit: non ex aetate, quae nullam per se gloriam
affert, sed ex virtute, quae sola P R I N C I P E S

H distin-

distingvit, aestimandus. Hac senibus praestitit
et lumen praetulit: hac sibi forsan satis, sed non
satis FAMILIAE, nec patriae satis vixit, quam
consilio et auctoritate fulciebat. Illa caput, ista
defensorem amisit: SOBOLES PATREM, CON-
IVX vitae socium desiderat: afficti praesidium,
miseri solarium, extorres perfugium querunt,
et auxilio destituti, ingemiscunt et illachrymantur.
Sed divus PRINCEPS gloria immortalitatis
auctus, inter coelites perenni laetitia fruatur, et
triumphat, non lachrymas, sed gratulationem
exposcens, cuius maxima laudes emori non
possunt, et in omnium memoria vigent, nec
civium modo, sed etiam PRINCIPVM
REGVM QVE ore, in omnibus
et maxime dissitis regionibus
concelebrantur.



I
trauer- sei

II
manbet obet

III
obet

I.



Leuch / Cammerreiches Band /
bey neuen Todtes Schauer /
Da ein entbrannter Blitz in
deine Leder schlägt /
Entweiche / kleide dich in tieffer
Nächte Brauer /
Weil Anna diese Post auff
schwarzen Schwingen trägt:

Durch erboster Küssste knallen
Ist Dein hohes Haupt gefallen /
Wärstu diese Stimme nicht /

Welche spricht:
Weint ihr Sterne / es verlöschet euer großes Sonnen-
Licht.

II.

Mein Schuster / leyder Ach! zu frühe / nur zu frühe!
Wir staunten allererst vor Deinen Wunder Schein;
Soll Deine Trefflichkeit / Dein Glanz und Deine Mühe
Den Armen Sterblichen denn nur gezeigt seyn?
Greylig / was der Himmel zeuget /
Was das Erden übersteiget /
Kan der Welt nicht eigen seyn /
Dessen Schein
Künnt bestlamte Himmels-Zinnen zu bestimmten
Sitz ein.

III.

Es setzte Dich die Zeit zum Wunder unser Zeiten /
Dich machte die Gestalt zu einen Absolon /
Durch Davids Frömmigkeit ließ Dich der Himmel leiten /
An Weisheit warest Du ein rechter Salomon.
Müste

Müste sich vor diesen Schäzen
Dödt und Leichen-Stein entsezzen/
So würde Deine Zeit

Allbereit!

Bei der Zugend Überflusse hier zur späten Ewigkeit.

IV.

Der Tempel bebet selbst und reget sein Geläute/
Zu welchen Deine Hand den ersten Stein gelegt/
Ja/ Er erschüttert sich bey solcher Todtes Beuthe/
Wenn man dergleichen Haupt in niedre Gründte trägt:
Deine Weisheit strahlte reichlich/
Der Verstand war unvergleichlich/
Dein Geist wird der ganzen Welt
Dargestelt/
Wenn er sich im zehnten Jahre schon zu Gottes Tassel hält.

V.

Es rühmet Nieder-Land noch Deine Zugend Stärke/
Paris bewunderte der Sinnen Freßlichkeit/
Es kennt der Ober-Rhein die Heldenleichen Werke/
Wenn Dein erzitter Geist den bländen Degen beut,
Wo von Westen als von Osten
Kommen die beglaubten Posten/
Und berichten dieses frey/
Ohne Scheu/
Das Dein vorgeführtes Leben grossen Helden ähnlich sey.

VI.

Und dennoch sindest Du, O grosse Landes Bonne/
Du giebest uns den Tag und stirbst wie Morgen-Noth/
Kur dieses mangelt noch/ es folget keine Sonne/
Wohl aber eine Nacht; O Schrecken voller Todt.
Wer

Wer will unsre Angst erreichen?
Mund und Angesicht erbleichen/
Ach! wir sehen eine Klüft/
Eine Gruft/
Da ein Ohnmachtreiches sinden uns fast selbst zum Grabe
ruft.

VII.

Allzu schneller Todt Anhaltischer Regenten!
Viehs Jahre scharrten einst fünff gesalbte ein/
Die sich Jan / Friederich / und Wilhelm Ludwig nenneten/
Lebrecht / Emanuel / die musten Leichen seyn.
Fröhle Opfer erster Tage!
Eine neu Jammer Klage/
Die nur Thränen bringen kan/
Webt sich an.
Unter Tottern/welche sterben/ist ein neuer Riß gethan.

VIII.

Was dir/ O grosser Fürst/ am Leben abgegangen/
Das nehme Leopold und August Ludwig an/
Wo wird das Fürsten Haus mit solchen Gedern prangen/
Das kein Cypressen Stamm sie übersteigen kan.
Man soll Dein unsterblich wesen
Roch in Chrysolithen lesen/
Weil Dem Marmor eingeprägt
Dieses trägt:
Hier ist das vollkomne Muster Grosser Fürsten bey-
gelegt.



80N 12

ULB Halle
005 302 617

3





14 W
ORATIO FVNEBRIS,

QVVM

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO

EMMANVELI
LEBRECHTO,

DVCI SAXONIAE, ANGRIAЕ, ET WEST-
PHALIAЕ, COMITI ASCANIAE ET NIEN-
BVRGI, DOMINO BERENBVRGI ET,
SERVESTAE ETC. ETC. ETC.

PIE PLACIDE QVE DEFVNCTO.
SOLENNITER IVSTA FIERENT,

IN TEMPLo ARCIS
VITEMBERGAE,

AD D. XXVIII. AVGVSTI A.C. cccccc IIII,
IPSO SOLEMNI EXEQVIARVM DIE,

HABITA

AB

ABRAAMo VATERO,
VITEMBERGENSI, PHIL. ET MED. STUD.

VITEMBERGAE,
EX OFFICINA HAKIANA.

